

## ОРИГИНАЛЬНЫЯ СТАТЬИ.

## MATÉRIAUX SCIENTIFIQUES.

**Andreas Semenov-Tian-Shanskij**, petropolitanus.

Chrysididarum species novae vel parum cognitae  
(Hymenoptera).

**Андрей Семеновъ-Тянь-Шанскій** (С.-Петербургъ).

Новые и малоизвестные виды сем. *Chrysididae* (Hymenoptera).

V<sup>1</sup>).

**Hedychridium mysticum**, sp. n.

Species egregia, coloratione maxime peculiari et forti puncturâ corporis distinctissima. ♂. Majusculus, formâ, structurâ et sculpturâ corporis *H. aheneo* Dahlb. et *incrassato* Dahlb. similis, a quibus valde discedit capite toto (occipite paulo obscuriore excepto) subaurato-viridi, pronoto laete viridi medio subaurato, in declivitate antica medio saturate cyaneo-violaceo, mesonoto viridi-cyaneo, lobo mediano obscuriore adeo, violaceouscenti, mesopleuris subaurato-viridibus, scutello et postscutello laete rubro-aureis, metathorace utrinque pone scutellum violaceouscenti-cyaneo, angulis postico-lateralibus cyanescents-viridibus, abdominis tergito 1-o subaurato-viridi in impressione basali atque in angulis basalibus cyaneo, 2-o toto dimidio basali nigro-violaceo, reliquâ parte cyanescents-viridi margine postico viridi-aurato, tergito 3-o cyaneo-violaceo, basi nigro, margine postico subaurato-virescenti, ventre piceo-nigro, sternitis duobus basalibus viridibus cyaneo-variis, tegulis caeruleis, pedibus viridibus, tarsis et labio dilute fuscis, antennis nigro-fuscis solo scapo viridi-medallico; his quam in *H. aheneo* Dahlb. longioribus et gracilioribus, imprimis scapo, articulo 3-o et insequentibus magis elongatis; capite latiore, longius cano-piloso, oculis minus convexis aspectu

<sup>1)</sup> Cf. Revue Russe d'Entomologie, IX (1909), 3, 1910, p. 213.

a fronte magis oblique positis, vertice eodem fere modo subreticulato-punctato, temporibus paulo minus confertim profunde punctatis, fronte multo latiore, cavitate faciali superne magis determinate limitata (non tamen carinata), dense pilis albidis accumbentibus vestita; pronoto paulo minus brevi, angulis posticis paulo magis divaricatis, similiter sed paulo crassius subreticulato-punctato, declivitatis anticae parte cyaneâ subtilius rugoso-punctata, rugulis longitudinalibus; mesonoto crassius et paulo laxius quam in *H. aheneo* punctato; postscutello et praesertim scutello crassius reticulato-punctatis, angulis postico-lateralibus metathoracis retrorsum incurvis et subhamiformiter porrectis; abdomine similiter configurato, constructo et sculpto, tergito 1-o paulo minus confertim, praesertim medio et ad declivitatem basalem inaequaliter punctato, tergito 2-o supra marginem posticum convexo, transversim non impresso, tergito 3-o basi paulo crassius punctato, parte supramarginali etsi manifeste, tamen minus quam in *H. aheneo* incrassato, ante hanc callositatem solum depresso, haud impresso, ipso margine postico anguste pellucido, medio manifeste sinuato; alis praeter trientem apicalem magis limpidis; ceterum cum *H. aheneo* satis congruus.

Long. ♂ 6 mm.

♀ ignota.

*Persia austro-orient.*: montana meridiem versus a Bampur (N. Zarudnyj leg. 19. VII. 1898). — Solum specimen (1 ♂) (Mus. Zool. Acad. Caes. Scient. Petrop.).

### ***Hedychrum longicolle* Ab. 1877.**

*Hedychrum longicolle* Abeille de Perrin: Feuille Jeunes Natur., VII, 1877, p. 65.

*Hedychrum longicolle* Abeille de Perrin: Ann. Soc. Linn. Lyon, XXVI, 1879, pp. 33, 34.

*Hedychrum longicolle* Marquet: Bull. Soc. Hist. Nat. Toulouse, XIII, 1879, p. 157.

*Hedychrum longicolle* Gogorza: Anal. Soc. Espan. Hist. Nat., XVI, 1887, p. 43.

*Hedychrum longicolle* Destefani: Natur. Sicil., VII, 1888, p. 121.

*Hedychrum longicolle* Mocsáry, Monogr. Chrysid., 1889, p. 169.

*Hedychrum longicolle* Mocsáry: Termesz. Füzet., XII, 1889, p. 61.

*Hedychrum longicolle* Dalla Torre, Catal. Hymen., VI, 1892, p. 32.

? *Hedychrum collare* A. Semenov: Bull. Acad. Imp. Sc. St-Pétersb., N. S., III (XXXV), 1892, p. 73; = Mél. biol., XIII, 2, 1892, p. 243.

*Hedychrum longicolle* R. du Buysson in Edm. André, Spec. Hymén. Eur. etc., VI, 1896, p. 227.

*Hedychrum collare* R. du Buysson, ibid., p. 713.

*Hedychrum longicolle* R. du Buysson: Rev. d'Entom. Fr., XIX, 1900, p. 130.

*Hedychrum longicolle* Mocsáry: Archiv. zool., I, 1, 1909, p. 1.

*Hedychrum collare* Sem. 1892 nil est nisi mera ♀ *H. longicollis* A. b.

Species per Europam meridionalem, Africam septentrionalem, Asiam minorem, Rossiam meridionalem, Turkestaniā, Sibiriae occidentalis oram meridionalē vaste propagata: Hispania, Gallia, Italia, Sardinia, Sicilia, Tyrolis, Hungaria, Asia minor (teste Mocsáry 1889); Biskra (teste Buysson 1900); *paenins. Taurica*: Eupatoria (B. E. Jakovlev! 1900), Staryj-Krym (D. Glazunov! 12. VII. 1904); *prov. Saratovensis*; Sarepta (A. Becker!, L. Wollmann! 1. VII. 1906; M. Koch! 20—23. VI. 1907, 18—23. VI. 1909); *prov. Transcaspica*: Tedzhen (D. Glazunov! 1883); *prov. Syr-dariensis*: Bajgakum pr. Dzhulek (teste Mocsáry 1909; B. Kozhantshikov! 11. VI. 1911); *prov. Turgaica*: mont. Mugodzhar (N. Androssov! 20. VI. 1909); *Semipalatinsk* (M. Suvortzev!); riv. Dzhemeni prope Zajsan (A. Jacobson! 1. VI. 1910).

Examinavi 23 specimina ♂♀ (coll. Semenov-Tian-Shanskii, Mus. Zool. Acad. Caes. Petrop.).

### **Parnopes grandior** (Pall. 1771).

Species vaste per Rossiam europaeam Sibiria occidentaliore Caucaſoque inclusis propagata: *prov. Petropolitana*: Pargolovo (ipse! VI. 1879)<sup>2)</sup>; *Kiev* (Th. Barovskij! 18. VI. 1910); *Slavuta prov. Volyniensis* (Ph. Zaitzev! 18—24. VI. 1911); *prov. Rjazaniensis*: Spassk (L. Semenov-Tian-Shanskij! 9. VII. 1900), distr. Dankov: Gremjatshka et Muraevnja (ipse! 6. VII. 1910, M. Semenov-Tian-Shanskij! 1. VII. 1902); *prov. Saratovensis*: Buzovlevo (prof. J. Tarnani! 5. VII. 1902), Chvalynsk (B. Boldyrev! 3. VII. 1907), Sarepta (L. Wollmann! 18. VI. 1906); ?? *prov. Transcaspica*: ? Aschabad (A. Duske!)<sup>3)</sup> *Varshava, Orenburg, „Caucasus“*, ?? Tashkent (teste Radoszkowski 1866<sup>4)</sup> 1889<sup>5)</sup>.

Aberr. α (= *unicolor* Grib. 1879). Specimen ♀ hujus aberrationis solum e *Transcaucasia* ante oculos habeo: Elisavetpol (J. Babadzhaniidi! 11—28. VI. 1909).

Aberr. β (= *fasciatus* Mocs. 1889) in Imperio Rossico nondum observata.

Aberr. γ (nova): ♂ capite, thorace, abdominis tergito basali, femoribus obscurato-viridibus, s. obscurato-subcupreo-viridibus, tergitis 2-o et 3-o margine impresso postico excepto totis cyaneo-chalybaeis plus

<sup>2)</sup> Specimen in Mus. Zool. Acad. Caes. Scient. Petrop. asservatum.

<sup>3)</sup> Specimen ♂ typicum (coll. Semenov-Tian-Shanskij); dubito num re verâ e *prov. Transcaspica* proveniat.

<sup>4)</sup> Horae Soc. Ent. Ross., III, p. 309.

<sup>5)</sup> Horae Soc. Ent. Ross., XXII, p. 37.

minusve violaceo-reluentibus, tegulis piceis solum margine postico le-  
viter angusteque pallescente. — Solum specimen ( $\delta$ ) unicum duobus  
speciminiibus ( $\varphi \varphi$ ) obscuratis formae typicae in Slavuta provinciae  
*Volyniensis* capta (Ph. Zaitzev! 5—11. 1911) (coll. Semenov-  
Tian-Shanskii).

**Annotatio.** In Persia Turkestaniaque loco *P. grandioris* Pall.  
*Parnopes glazunovi* Sem. 1901 habitat<sup>6)</sup>.

**Parnopes grandior caspicus** Mocs. 1889.

Quae subspecies meridionalis totam australem areae oram occupare  
videtur: Armenia (teste Buysson 1894); prov. Kars: Olty (E.  
Koenig! 2. IX. 1905) (Mus. Cauc.); prov. Heptapotamica (Semi-  
retshj'e): curs. infer. fluvii Ili ad lac. Balchash (exped. D-ris L. Berg!  
10. VII. 1903) (coll. Semenov-Tian-Shanskii).

**Parnopes grandior semiviolaceus**, subsp. n.

$\delta \varphi$ . *P. grandiori* (Pall.) typico staturâ et structurâ omnino  
similis, sed capite, thorace, abdominis tergito basali ejus margine postico  
medio excepto similiter atque in *Parnope popovi* Ev. saturate viola-  
ceis s. cyaneo-violaceis, coxis femoribusque (his excepto summo apice  
pallido) cyaneis viridi-aeneo-variegatis, tegulis pallido-testaceis, protho-  
race paulo minus confertim grosse punctato.

Long. 10,5—12 mm.

*Sibiria austro-occidentalis*: Semipalatinsk (M. Suvortzev!  
№ 166). — Duo specimina ( $\delta \varphi$ ) e coll. Dr. F. Morawitz (Mus.  
Zool. Acad. Caes. Scient. Petrop.).

A *Parnope popovi* Ev., cui primo aspectu ob analogam colora-  
tionem similis, longe recedit omnibus notis specificis, inter alia et  
abdominis tergito ultimo praecedenti concolori, i. e. toto carneo.

**Cephaloparnops<sup>7)</sup> abruptus**, sp. n.

$\delta$ . Quoad colorem et habitum primo aspectu *Parnopi grandiori*  
(Pall.) haud dissimilis, sed minor, angustior et gracilior, partibus viridi-  
bus obscurioribus (semperne?), ex parte nigro-violaceouscentibus, antennis  
scapo excepto, clypei parte apicali declivi, mandibulis apicibus exceptis, fe-  
morum antecorium dimidio apicali, ceterorum triente apicali, tibiis tarsisque  
totis, tegulis, processus postscutellaris totâ parte aperi-  
cali, angulis postico-lateralibus metathoracis et epi-

<sup>6)</sup> Specimina omnia a Radoszkowski (in Fedtshenko, Путеш. въ Туркест., II, 5, 1877, стр. 27) e Samarkand, e valle fl. Zeravshan, e  
Bajrakum (= ? Bajgakum) atque e deserto Kizil-kum allata, referenda sunt sine  
dubio ad *Parnopem glazunovi* Sem.

<sup>7)</sup> Bischoff: Mitteil. aus d. Zool. Mus. Berlin, IV, 3, 1910, pp. 435, 449.

sternorum expallido-testaceis, abdomine toto rufo-testaceo, tergitis omnibus plus minusve viridi-metallico-, ad latera etiam purpureo-reluentibus; antennis multo tenuioribus, scapo gracili et magis elongato, duobus sequentibus articulis unitis longiore, sed tribus sequentibus simul sumptis paulo breviore, leniter apicem versus incrassato, flagelli articulis cylindricis, art. 3-o praecedente subsesqui tantum longiore, 2-o et 4-o oblongiusculis subaequalibus, insequentibus sensim sed parum longitudine decrescentibus; capite magis crasso, imprimis aspectu desuper magis oblongo, haud latiore quam basis pronoti, fortiter et regulatiter reticulato-punctato, ocello antico in aream transverso-ovalem carinulâ tenui limitatam inclusa, cavitate faciali paulo angustiore, haud profundâ, pilis tenuibus accumbentibus niveo-argenteis omnino indutâ, oculis latioribus, magis convexis, late regulariterque ovatis, eorum diametro transverso latitudinem faciei vix excedente, genis brevissimis subnullis, ligulâ cum maxillis valde porrectâ, attenuatâ, non solum altitudinem capitum, sed etiam longitudinem thoracis et capitum unitorum superante; pronoto antrorsum fortissime angustato, angulis posticis lobiformiter extrorsum eminentibus, externe rotundatis, lateribus ante hos profunde usque ad angulos anticos sinuatâ, his non prominulis sed spinulâ longâ extrorsum plus minusve hamiformiter directâ armatis, convexiusculo, crasse haud confertim subreticulatum punctato, medio longitudinaliter late fere canaliformiter subimpresso, untrinque ante basin secundum marginem posticum impressione subobsoletâ transversali notato, sicut capitum vertex sparsim breviterque, secundum marginem posticum multo copiosius albido-pilosulo; mesonoto convexiusculo punctis rotundis fundo plano valde laxe obsito, punctorum intervallis laevibus; scutello crassius et magis confertim subreticulato-punctato; postscutello utrinque sicut et scutellum in declivitatibus ejus lateralibus et posticâ pilis albidis accumbentibus abunde vestito, processu mediano subverticali, sat brevi et angustiusculo, lateribus parallelo, apice profunde emarginato, aspectu desuper formam fere caudae avis vel piscis praebente; mesopleuris crasse remote varioloso-punctatis, pube albidâ accumbente indutis, margine externo late regulariterque rotundato, integro; angulis postico-lateralibus metathoracis acutissimis, oblique extrorsum et retrorsum spiniformiter porrectis; tegulis majusculis disperse punctatis, postice introrsum fere anguliformiter dilatatis; abdomine retrorsum leniter sensim angustato, tergitis lateribus perparum convexis, 1-o laxe et nonnihil inaequaliter punctis sat crassis nec profundis obsito, secundum marginem posticum fasciiformiter et lateribus ad angulos basales sat dense pilis accumbentibus argenteis induit, 2-o et 3-o parte basali a reliquâ impressione subsulciformi separatâ minute sat crebre punctatâ,

parte apicali subconvexâ multo grossius et parcius, tamen minutius quam tergitum primum punctatis, secundum marginem posticum eodem modo ac terg. 1-um fasciiformiter argenteo-pilosis, margine lateralî expallido, membranaceo, angulis postico-lateralibus retrorsum porrectis et acuminatis, tergito 4-o valde brevi et retuso, parte basali omnino impunctatâ politâque a reliquâ sulco arguto fundo subcrenulato separatâ, reliquâ parte fortiter profundeque, haud nimis confertim punctatâ, ad apicem abrupte verticaliter declivi, quâ declivitate medio carinâ longitudinali praeditâ, ante marginem posticum calloso-inflatum pallidum sulco forti transversali instructâ, ipso margine postico, denticulis acute spiniformibus expallidis numero circ. 14 armato, quorum extero majuscule a basi tergiti nonnihil remoto; ventre microscopice punctulato-coriaceo, pube subtili accumbente parce induito; femoribus anticis ad basin trientis apicalis dente validiusculo triangulare armatis; alis hyalinis, anticis parte apicali zoniformiter infumatâ, venis pallido-fuscescentibus, costali a subcostali valde remotâ, cellulis discoidali et mediali 2-a omnino deficientibus (nervis eas terminantibus oblitteratis, non pigmentatis, etsi ectypiformiter delineatis), cellulæ radialis vix nisi quadrante basali indicato, furcam brevem et regularem ramis aequilongiis formante.

Long. ♂ 8 mm.

♀ ignota.

*Persia orient.: prov. Kerman, distr. Sarhad: Podagi (N. Záružnyj 25. VI. 1898 leg.). — Solum specimen (1 ♂) (Mus. Zool. Acad. Caes. Scient. Petrop.).*

A *Cephaloparnope eleganti* (Kl.) sec. ejus descriptionem ab H. Bischoff nuper conscriptam<sup>8)</sup> valde discrepat imprimis staturâ majore, capite occipite minus excavato, ligulâ cum maxillis longe (magis adeo quam in *Parnope grandiore* Pall.) porrectâ et attenuatâ, mesonoto suturis longitudinalibus manifestis laxe punctato, postscutello in processum subverticaliter eminentem, apice ad instar caudae avis emarginatum producto, cuius processus parte apicali, sicut angulis postico-lateralibus metathoracis et episternorum expallido-testaceis, angulis postico-lateralibus tergitorum abdominalium 2-i et 3-ii in ♂ valde porrectis et acuminatis, tergito ultimo dentibus apicalibus brevioribus et minus numerosis (numero circiter 14) armato, alis anticis parte apicali infumatis, etc.<sup>9)</sup>.

Multo propius speciei nostrae accedere videtur *Parnopes vareillesi* Buyss.<sup>10)</sup>, qui in genus *Cephaloparnops* Bischoff itidem refe-

8) H. Bischoff: l. c., p. 449.

9) Doleo, in *Cephaloparnopsis elegantis* (Kl.) descriptione citata Bischoffiana nil de tibiarum antecarum, de palporum, tegularum structurâ notatum esse.

10) R. du Buysson: Rev. d'Entom. Fr., XIX, 1900, pp. 156—157 (♂ ♀).

rendus videtur, etsi R. du Buys son de defectu in alis anticis cellularum discoidalis et submedialis 2-ae nullam fecit mentionem. *Cephaloparnops abruptus* a *Cephaloparnope vareillesi* (Buys.), sec. hujus descriptionem non satis completam, discedit solum notis sequentibus: capite minore regulariter reticulato-punctato; pronoto antrorum fortissime angustato, lateribus profunde usque ad angulos anticos spiniferos sinuatis, dorso medio longitudinaliter late fere canaliformiter subimpresso et praeterea utrinque ante basin impressione transversali subobsoletâ signato; tergito abdominali in ♂ 4-o nonnihil aliter sculpto alterque apice denticulato; metallicis corporis partibus obscurioribus, antennarum scapo maximâ ex parte obscure metallico, tegulis totis expallido-testaceis, abdomine ♂ toto rufo-testaceo nitore leviter tantum metallico; alis anticis parte apicali zoniformiter infumatâ; staturâ paulo majore.

### Pseudochrysis chalcites (Mocs. 1890).

*Chrysis (Gonochrysis) chalcites* Mocsáry: Termész. Füzet., XIII, 2—3, 1890, p. 55 (♀).

*Spinolia chalcites* Buysson in Edm. André, Spec. Hymén. d'Eur. etc., VI, 1896, p. 249 (♀).

*Spinolia chalcites* Buysson: Rev. d'Ent. Fr., XXIII, 1904, p. 258.

? *Pseudochrysis pseudedychrum* A. Semenov in litt.

*Spinolia* (senso Buyssoni, nostro). Species insignis, *Pseudochrysidibus: unicolori* (Dahlb.) et *rusalkae* Sem. (1901) proxima atque affinitatem generis *Pseudochrysis* Sem. cum genere *Hedychrum* (Latr.) Mocs. manifestans: non solum habitu generali, sed etiam sculpturâ superficie, fronte convexâ, configuratione tertii tergiti abdominalis serie antea apicali subobliteratâ *Hedychro* generi valde appropinquat; discrepat imprimis nervulatione alarum atque structurâ simplici unguiculorum.

Area geographica hujus rarissimae speciei sat ampla esse videtur: Sarepta provinciae Saratovensis (teste Mocsáry 1890; M. Koch! 20. VI. 1907); Konia Anatoliae (A. Schulz teste Buysson 1904).

Examinavi solum specimen (1♂) (coll. Semenov-Tian-Shanskii).

**Annotatio.** Subgenus *Achrysis* Sem. 1892, Bischoff 1910 hodie supervacaneum esse censeo.

### Pseudochrysis sphinx Sem. 1902.

? *Pseudochrysis sphinx* A. Semenov: Rev. Russe d'Entom., II, 1902, p. 168 (♂♀).

? *Pseudochrysis sphinx* A. Semenov: ibid., III, 1903, p. 400 (♂♀).

*Chrysis (Polyodontus) Stschurovskyi* Mocsáry: Arch. Zool., I, 1, 1909, p. 7 (♂).

? *Polyodontus Stchurovsky* (sic) Radoszkowski in Fedtshenko,  
Путеш. въ Туркест., II, 5, 1877, p. 25; tab. III, fig. 2 (mala!) („♀“ =  
? ♂) [descriptio et icon mancae falsaeque].

? *Chrysis (Polyodontus) Stschurovskyi* Mocsáry, Monogr. Chrysidiid. orb.  
terr. univers., 1889, p. 710 [descript. origin. repetita].

Species unicum *Pseudochryside moricei* Buysse, *Ps. zarudniana*  
Sem., aliis transitum inter subgenera *Euchroem* (Latr.) et *Spi-  
noliam* (Dahlb.) praebens et ambo subgenera inter se copulans, tamen  
ad subgen. *Euchroeus* (Latr.) sensu nostro (amplificato) referenda.

Descriptio et icon *Polyodonti stschurovskyi* Rad. (1877) non  
aptae sunt ad speciem dignoscendam. Patria speciei Radoszkow-  
skianae ignota mansit. Originale ejus specimen nemo vidit praeter  
beatum auctorem. Quod unicum specimen haud scio an adsit.

Quae cum ita sint, speciem nostram *Pseudochrysis sphinx* omni  
jure appellandam esse censeo.

Species sat vaste in Turkestania saltem septentrionali propagata:  
*Chiva*: curs. infer. fluvii Amu-darj'ja (C. Rossikov! VI. 1898);  
*Turkestan ross.*: prov. *Syr-dariensis*: Perovsk (L. Wollmann 29. V.  
1907 teste Mocsáry 1909); deserta Kizil-kum: locus Karakum<sup>11)</sup>  
(N. Zarudnyj! 16. VI. 1907); prov. *Heptapotamica* (Semiretshj'e): insula  
Urt-aral in parte occidentali lacus Balchash (exped. D-ris L. Berg!  
22. VIII. 1903).

Examinavi 14 specimina (3 ♂, 11 ♀) (coll. Semenov-Tian-  
Shanskij).

### ***Pseudochrysis rugulosa* (Mocs. 1909).**

! *Chrysis (Euchroeus) rugulosa* Mocsáry: Archiv. Zool., I, 1, 1909, p. 8 (♂♀).

! *Pseudochrysis purpurata irradians* A. Semenov-Tian-Shanskij:  
Russe d'Ent., IX, 3, 1910, p. 213 (♂♀).

Quae venusta forma mihi nunc sine dubio species autonoma, etsi  
*Pseudochrysidis (Euchroei) purpuratae* (F.) proxime cognata, esse  
videtur, nam sec. materialia a me novissime inspecta aream geo-  
graphicam ab illâ *Ps. purpuratae* absolutam, partim cum  
illâ concidentem<sup>12)</sup>, exhibet.

Quod ad ejus characterem specificum attinet, omnia signa, a me  
et a cl. A. Mocsáry ll. cc. allata, constantissima esse videntur.  
Tergita abdominalia 1-um at 2-um sunt multo grossius fortiusque quam  
in *Ps. purpurata*, 2-um praeterea confertim punctata, non tamen rugosa,  
ut perperam indicat Mocsáry; ergo et nomen speciei injustum.

<sup>11)</sup> Non est cofundendus cum desertis Kara-kum dictis.

<sup>12)</sup> Signum speciei autonomae. Cf. A. Semenov-Tian-Shanskij,  
Die taxonom. Grenzen der Art und ihrer Unterabteilungen, etc., Berlin 1910;  
A. Семеновъ-Тянь-Шанскій, Таксономич. границы вида и его под-  
раздѣлений и пр. (Зап. И. Акад. Наукъ по физ.-мат. отд., XXV, № 1), 1910.

Hab. inde a Volga inferiore per meridionalia Kirgizorum deserta, totam regionem Transcaspicam, Turkestaniae partem saltem ad Dzhungariam rossicam (Semiretshj'e) usque: prov. Saratovensis: Sarepta (L. Wollmann! 27. VI. 1906) [ubi unicum *Ps. purpurata* F. occurrit!]; prov. Uralensis: Post Krasnojarskij trans Ural fl. (B. Uvarov! 12. VI. 1907); prov. Turgaicae ora orientalis: Kashkar-ata haud procul a litt. septentr.-occid. lacus Aral (Vl. Dubjanskij! 12. V. 1904); prov. Transcaspica: Mulla-kary prope mare Caspium (C. Ahniger! 18. VI. 1903), deserta prope Bacharden (idem! 14. IV. 1903); Turkestan: prov. Syr-dariensis: antemontana Karatau prope Dzhulek (L. Wollmann 15—19. V. 1908 teste Mocsáry, l. c.), Akdanar (J. Heyer! 17. VI. 1898); prov. Heptapotamica (Semiretshj'e s. Dzhungaria rossica): deserta prope Sjugaty (A. Jacobson! 29. VI. 1907).

Examinavi 10 specimina (4♂, 6♀) (coll. Semenov-Tian-Shanskii; Mus. Zool. Acad. Caes. Scient. Petrop.).

### Pseudochrysis robusta (Mocs. 1909).

*Chrysis (Euchroeus) robusta* Mocsáry: Archiv. Zool., I, 1, 1909, p. 7 (♂).  
! *Pseudochrysis herculeana* A. Semenov-Tian-Shanskij: Rev. Russe d'Ent., IX, 3, 1910, p. 215 (♀).

*Euchroeus* (sensu nostro). Descriptio hujus insignis speciei ap. Mocsáry l. c. allata non satis exacta mihi videtur.

Hucusque solum duo specimina e prov. Syr-dariensi nota: Balamurum prope Bajgakum (J. Baekmann! 27. V. 1905), antemontana Karatau prope Dzhulek (L. Wollmann 19. V. 1908 teste Mocsáry l. c.).

### Pseudochrysis astarte, sp. n.

*Euchroeus* (sensu nostro). ♂. Tota saturate concinneque violacescenti-caerulea, vertice intra stemmata, mesonoti lobo medio basi, tergitis asdominalibus 1-o in dimidio apicali et ad latera, 2-o dorso in dimidio apicali magis caeruleis, antennarum flagello articulo basali (2-o antennarum) viridi-caeruleo excepto nigro, tibiis summo tantum apice nonnihil pallescentibus, tarsis nigris s. fuscis, articulo 1-o saltem antcorum superne leviter violaceouscenti; venis alarum leviter sordidarum fuscis. *Ps. (Euchroeus) egregiae* Buys s. affinis similisque, sed paulo major et robustior (semperne?), antennis primis flagelli articulis paulo magis elongatis, capite genis multo longioribus, longitudinem 3-ii antennarum articuli excedentibus, pilis erectis magis incanis obsito, cavitate faciali totâ subsparsim punctatâ, medio haud striolatâ, pilis utrinque minus condensatis neque sericeis, medio dispersis indutâ, carinulâ marginali superiori fortissimâ, medio valde acutâ et pro-

minente, utrinque nonnihil abbreviatâ, simplici, fronte inter hanc et stemmata manifeste concaviusculâ; pronoto antrorsum magis angustato, lateribus nequaquam parallelis, angulis anticis obtusis, truncaturâ anticâ minus abruptâ; pro- et mesonoto minus regulariter sculptis, magis rude rugoso-punctatis, punctis fundo haud laevi; scutello et postscutello minus gibbosis (aspectu a latere); mesopleuris rude sculptis sulco longitudinali indicato; abdomine fortius et grossius, imprimis in tergitis 2-o et 3-o, in illius dimidio postico subrugiformiter, in hoc minus confertim punctato, tergito 2-o valde convexo margine apicali distincte subincrassato, 3-o fortiter transversim impresso, supra seriem antepicalem transversim valde calloso, margine apicali brevi dentibus paulo longioribus irregulariter serrato, ad latera necubi pellucido; alarum antecarum c e l l u l â r a d i a l i m a g i s a p e r t â , venâ radiali paulo magis geniculatum incurvâ longius ante apicem alae evanescente; ceterum *Ps. egregiae* similis.

Long. ♂ 9 mm.

♀ ignota.

*Transcaucasia*: Eriwanj (Dr. Maljuzhenko leg.). — Specimen unicum (1 ♂), quod benevolentiae A. I. Skorikovi debo (coll. Semenov-Tian-Shanskii).

A *Ps. (Euchroeo) robusta* Mocs. (*herculeana* Sem.) discrepat imprimis staturâ minore, nec tibiis nec tarsis nec mandibulis pallidis, capite latiore, unacum thorace multo longius cano-piloso, genis paulo longioribus, cavitate faciali latiore aliterque sculptâ, carinulâ marginali superiore fortiore ramulos nulos emittente, vertice confertim punctato-rugoso, haud reticulato, pronoto minus regulariter sculpto angulis anticis adeo obtusioribus, scutello magis convexo, alarum antecarum cellulâ radiali multo longius ante apicem evanescente etc.; a *Ps. (E.) vespера* Sem. (1910), cui proxime affinis, differt praesertim capite paulo latiore, oculis majoribus et magis convexis (saltet in ♂), facie sparsim subobsolete punctatâ, carinulâ marginali superiore magis rectâ et medio magis adeo evolutâ, vertice magis confertim punctato-rugoso, pronoto minus brevi et minus transversali, abdominis tergito 2-o in dimidio posteriore magis abunde, minus aequaliter subrugiformiter punctato, 3-o margine apicali breviore irregulariter breviusque dentato, lateraliter (contra et sub initium seriei antepicalis) obtuse biangulato, venâ radiali paulo magis geniculatum incurvâ, colore corporis ♂ obscuriore neque viridi (feminae probabiliter magis adeo inter se differunt).

### *Pseudochrysis eoа*, sp. n.

*Euchroeus* (sensu nostro). ♀. Mediocris, lata et breviuscula, rosaceo-aenea, capite, thorace (imprimis pronoto et postscutello), tergito

abdominali primo potius in viridi-aeneum vergentibus, cavitate faciali genisque aurato-viridibus, lateribus pronoti et propleuris, coxis et metasterni lateribus laete aeneo-viridibus s. aurato-viridibus; mandibulis ante apicem late pallidis, antennarum scapo viridi-aeneo, ejus quadrante aut triente apicali sicut et pedicello toto expallido-testaceis, flagello toto dilute fusco, opaco, ad apicem sensim paulo pallescente; tegulis **ex**-pallido-testaceis nitore manifesto aeneo, diaphanis; ultimi tergiti abdominalis toto margine apicali multidentato exceptâ solum mediâ ejus parte lacteo-testaceo; ventre viridi-aurato, sternito 2-o basi utrinque maculâ parvâ rotundâ nigrâ signato; geniculis, tibiis tarsisque albido-testaceis, tibiis medio interdum leviter infuscatis. Antennis crassiusculis, scapo modice longo, tribus sequentibus articulis unitis subaequali, articulo 2-o quarto paulo breviore, subdense albo-pubescenti, art. 3-o secundo 1,<sup>3</sup>, quarto vix longiore, hoc quinto subaequali. Capite prothoracis apice latiore, aspectu desuper crassiusculo, aspectu a fronte elongato, subtriangulari; fronte, vertice, occipite, temporibus pube sat longâ semierectâ incanâ, in fronte utrinque secundum carinulam stemma anticum amplectentem et imprimis ad carinam marginalem frontis condensatâ, cavitate faciali genisque pube tenui accumbente haud dense indutis; temporibus, occipite, vertice et fronte confertim, hac paulo minutius subreticulato-punctatis; cavitate faciali minus angustâ, subprofundâ, crebre subtiliter ruguloso-coriaceâ, sulco mediano longitudinali manifesto nullo, superne carinâ forti, medio antrorum uniangulatâ, utrinque orbitam oculi fere attingente limitatâ, qua carinâ utrinque ramulum emitente, ramulis aream sat magnam stemma anticum includentem terminantibus; clypeo valde elongato, disperse punctato, basi carinulâ longitudinali abbreviatâ instructo, apice recte truncato; genis perlongis, aspectu a fronte convergentibus, antennarum articulis 3-o et 4-o unitis subaequilongis; temporibus saltem usque ad libramentum angulorum anteorum pronoti tenuiter sed acute carinatis; oculis sat magnis et convexis, oviformibus, oblique positis, orbitis internis aspectu a fronte ad  $\frac{2}{3}$  longitudinis usque fortiter convergentibus; mandibulis elongatis, ante apicem acute dentatis; ligulâ cum maxillis sat breviter porrectâ, modice exsertâ. Pronoto brevi, valde transversali, trapeziformi, lateribus antrorum fere recte angustatis, levissime sinuatis, angulis anticis subobtusis, posticis longe retrorsum porrectis, margine postico intra eos late arcuatim exciso, margine antico aspectu desuper etiam subexciso, truncaturâ subverticali punctatâ, medio areolâ politâ impunctatâ signatâ; dorso latitudinaliter convexo, antrorum declivi, sat crasse regulariter reticulato-punctato, parcissime disperse cano-pilosulo, pilis subargenteis solum secundum marginem anticum utrinque ad angulos anticos valde condensatis; sulco mediano longitudinali prorsus nullo. Mesonoto longo, convexo, fere nudo, eodem fere modo atque pronotum, paulo tantum

subtilius confertim reticulato-punctato, suturis parapsidalibus tenuissimis, lobo mediano lato; mesopleuris minus aequabiliter antice minute, postice crasse subreticulato-punctatis, sat parce argenteo-pilosis, toto triente inferiore cum dentibus apicalibus pilis sat longis rigidis accumbentibus argenteo-albis densissime vestitis, sulco longitudinali omnino spoliatis, sulco transversali sub pilis densis omnino abscondito, apice dentibus duobus acute spiniformibus inter se late distantibus armatis; tegulis sat parvis sparsim punctatis; scutello subconvexo crasse regulariter reticulato-punctato, punctis fundo plano. Postscutello subgibbosim convexo adhuc crassius reticulato-punctato, punctis fundo omnino plano, sicut scutellum parcissime disperse pilosulo; angulis postico-lateralibus metathoracis per angustis, elongatis, sub angulo ante medium incurvis, apice acuto subspiniformi extrorsum et leviter retrorsum directo. Abdomine capite thoraceque simul sumptis paulo breviore, lato, breviter subovato, basi lateribus parallelo, aequabiliter regulariterque, fere subhemisphaerice convexo, tergito 1-o subcrasse, ad latera crebre, medio remotius punctato, 2-o magis confertim minutiusque, ad latera subrugosim fortiter punctato, carinâ longitudinali forti sed acutâ, postice abbreviatâ instructo, ad marginem posticum parce albo-pilosulo, hoc convexo, sat fortiter incrassato, angulis postico-lateralibus perobtusis; tergito ultimo laxe tenuius punctato, basi verticaliter declivi, supra seriem antepicalem fortissime calloso-incrassato, apice subangulato, serie antepicali parum immersâ, longissimâ, fere usque ad basin tergiti continuatâ, e foveolis minutis punctiformibus parum, externis non conspicuis numero totali circ. 22 compositâ, margine apicali subbrevi lacteo (medio excepto), dentibus numero circ. 11—12 acutis, intermediis 6 spiniformibus, verticalibus, plerisque limbo hyalino obductis armato, his inter se etsi non omnino, tamen sat regulariter distantibus, intermediis emarginaturis magis profundis inter se separatis, qua dentium serie ad basin tergiti lobulo prominulo late hyalino-limbato terminatâ. Ventre pube tenui omnino accumbente argenteo-sericeâ dense induito, microscopice alutaceo, laete viridi-aureo, solo sternito 2-o utrinque maculâ parvâ rotundâ nigrâ notato, sternito 3-o ad apicem sat fortiter reflexo medioque tectiformiter subelato. Femoribus anticis gracilibus sat sparsim punctatis, longius parceque pilosis, ceteris densius pube albâ tenui accumbenti indutis. Alis fere pure hyalinis, anticis pilis minutissimis disperse, ad apicem magis abunde obsitis, nervis praeter costalem pallidum plus minusve dilute fuscis, cellulâ radiali apice sat late apertâ, nervo radiali versus apicem alae directo, hunc tamen longe non attingente.

Long. ♀ 6,6 mm.

♂ ignotus.

*Persia austro-orient.*: territorium *Mekran*: terra *Kutshe*: *Kambil* (N. Zarudnyj leg. 8—9. III. 1901). — Solum specimen (1 ♀) (coll. Semenov-Tian-Shanskii).

Manifestissima species, solummodo *Pseudochrysidi* (*Euchroeo*) *virgini* Sem. similis et affinis; a quā valde tamen discrepat imprimis margine apicali 3-ii tergiti abdominalis non toto lacteo dentibus numerosis armato, nonnullis corporis partibus (ut mesopleuris infra, ventre) dense argenteo-pilosis, facie latiore, oculis minoribus, oviformibus, temporibus acute carinatis, angulis postico-lateralibus metathoracis angustioribus et longioribus, etc.

***Pseudochrysis virgo* Sem. 1891.**

! *Pseudochrysis (Spintharis) virgo* A. Semenov: Horae Soc. Ent. Ross., XXV, 1891, p. 441 (♂).

! *Pseudochrysis (Spintharis) virgo* A. Semenov: Horae Soc. Ent. Ross., XXVI, 1892, p. 487.

*Chrysis virgnalis* R. du Buysson in Edm. André, Spec. Hymén. d'Eur. et d'Algér., VI, 1896, pp. 264, 629 (♂).

! *Pseudochrysis virgo* A. Semenov: Revue Russe d'Entom., II, 1902, p. 171 (♀).

*Spintharis virgo* Mocsáry: Archiv. Zool., I, 1, 1909, p. 3 (♂).

Species in subgenus *Euchroeus* (Latr.) sensu nostro (amplificato) referenda.

Morphomatica sexuum differentia his notis continetur:

♂. Statura plerumque minore, formā breviusculā, colore spendiōre et laetiore: laete smaragdinus, pronoto et mesonoti lobis lateralibus nitore distincto aureo, abdominalis dorso delicate roseo ad certum luminis situm plus minusve laete viridi-relucente, saltem basi tergiti 1-i manifeste virescente, ventre viridi-aureo, ioseo s. dilute purpureo- et nigro-variegato; facie paulo latiore; abdomine perbrevi, subquadrato, tergito 3-o brevi.

♀. Plerumque major et paulo oblongior, colore obscuriore et magis uniformi: collo, thoracis partibus inferioribus, femoribus et pallidis pedum antennarumque partibus nec non abdominalis margine apicali lacteo exceptis tota subobscure rosaceo- s. purpurascenti-aenea, postscutello et tergito abdominali 2-o medio nonnunquam leviter viridi-aescientibus, collo viridi-chalybaeo, pro- et imprimis metathorace infra majore ex parte laete viridi-aeneis, femoribus anticis externe rosaceo- s. purpurascenti-aeneis, ceteris lucidis laete aeneo- s. aurato-viridibus; partibus pallidis antennarum pedumque paulo obscurius testaceis; ventre purpureo-aeneo, vage subaurato, nigro-variegato; facie angustiore; abdomine minus brevi, late subovato, tergito 3-o longiore, parte metallicā apice medio angulatim acuminatā; segmentis abdominalibus protractilibus (tubulo)

brevibus brunneis, tergito 5-o apice in angulum sursum dentiformiter eminentem producto.

Long. ♂ 5,7—6, ♀ 6—7 mm.

Quoad characterem specificum hujus manifestissimae speciei cf. descriptionem nostram originalem (1891, l. c.), a R. du Buysson in versione gallicâ l. c. repetitam.

Hab., quantum constat, *inde a Turkestania rossica septentrionali* [Bajgakum ad curs. infer. fl. Syr-darj'ja, teste Mocsáry, l. c.; B. Kozhantshikov! 11. VI (♂) et 27. VII (♀) 1911] *trans provinciam nostram Transcaspicam*, saltem in ejus parte australi [Dort-kuju (ipse! 5. V. 1888)], *Persiam saltem orientalem* [Kerman septentr.: districtus Sarhad (N. Zarudnyj! 7—8. V. 1901) usque ad *Transcaucasiam orientalem* [prov. et district. Elisavetpol: Liaki (J. Babadzhani! 31. V — 7. VI. 1909), Elisavetpol (id.! 28. V. 1910)].

Examinavi 6 specimina (2 ♂, 4 ♀), quorum transcaucasica: alterum benevolentiae beati mei amici Al. Jakovlevi, alterum benevolentiae collectoris debeo (coll. Semenov-Tian-Shanskii; Mus. Zool. Acad. Caes. Scient. Petrop.).

### ***Chrysis petri* Sem. 1903.**

! *Chrysis petri* A. Semenov: Rev. Russe d'Entom., III, 1903, p. 397 (♀).

♂ differt a ♀, cui simillimus, staturâ plerumque minore, antennarum articulis 4-o, 5-o, 6-o subtus inflatis, etiam art. 4-o metallescente (semperne?); tergiti abdominalis 3-ii margine apicali paulo latiore magisque planato.

Variat capite thoraceque laete viridi-auratis, mesonoto, praecipue in lobis lateralibus, praeterea laete cuprato.

Long. ♂ ♀ 8—11 mm.

Species manifesta, praecipue *Dzhungariae rossicae* s. *provinciae Heptopotamicae* (Semiretshj'e) propria: ad fl. Kastek (exped. prof. B. Sapozhnikovi! 24. V. 1902), ad fl. Ili in finibus distr. Kopal prope st. Tshingildy (coll. anonym. V. Barovskii! 20. V. 1907), fauces Kyzyl-su in jugo Alexandri prope Tokmak (B. Rovnjagin! 10. VI. 1903, 24. V. 1904).

Examinavi 5 specimina (2 ♂, 3 ♀; coll. Semenov-Tian-Shanskii).

### ***Chrysis petri alticola*, subsp. n.**

♀. Differt a forma genuina staturâ minore, formâ corporis paulo latiore, capite (saltem ejus parte occipitali) thoraceque obscurius viridibus, fere non auratis, fronte et vertice longius adeo nigro-pilosus, mesonoto scutelloque subtilius sculptis, non rugatis, tergito abdominali 3-o breviore et apice obtusiore.

Long. ♀ 7,4—8 mm.

*Bucharia orient.*: trajectus Gardan-i-Kaftar in jugo Petri Magni, alt. circ. 9.000' s. m. (A. Hollbeck leg. 3—4. VII. 1911). — Duo specimina (2♀) (coll. Semenov-Tian-Shanskii).

Fortasse morpha tantum.

### **Chrysis remota Mocs. 1889.**

*Chrysis remota* Mocsáry in Radoszkowski: Horae Soc. Ent. Ross., XXII, 1889, p. 21; Radoszkowski: ibid., p. 22, tab. IV, fig 48 (♂).

*Chrysis remota* R. du Buysson in Edm. André, Spec. Hymén. Eur. etc., VI, 1896, p. 447 (♂).

? *Chrysis (Tetrachrysis) remota* Mocsáry: Archiv. Zool., I, 1, 1909, p. 3 (♂).

*Tetrachrysis* (sensu Mocsáry 1889). Descriptionibus addenda:

♂. Antennarum articulus 3-us quarto etiam paulo brevior. Tergitum abdominalis 3-um ad apicem valde fornicatum.

♀. Valde differt a mare staturā plerumque multo majore; antennis articulo 3-o valde elongato, longitudine duorum sequentium unitorum parum breviore; tergito abdominali 3-o fere non fornicato, magis elongato, ad apicem magis sensim angustato, in dimidio basali transversim late impresso, supra seriem antepicalem minus incrassato, margine apicali multo magis elongato, dentibus validioribus, in lineā vix arcuatā dispositis, internis longioribus inter se paulo minus quam ab externis distantibus. Omnibus reliquis characteribus, inter alia catinulā frontali peculiariter configuratā, cum ♂ quadrat.

Specimen transcaspicum (1♀) discrepat a reliquis colore multo laetiore: vertice intra stemmata, genis, pronoto, mesonoti lobis laterilibus, mesopleuris, scutello, tergitorum abdominalium duorum basalium saltem dimidio posteriore vel majore parte, 3-ii fasciā supra seriem antepicalem plus minusve aurato-viridibus.

Omnia specimina nostra (♂♀) a descriptione hujus speciei a cl. Buysson l. c. allata discrepant genis (quae quoad longitudinem quodammodo variant) haud subnullis, secundo antennarum articulo plerumque haud brevioribus, harum flagello nigro, vel fusco, articulo 3-o in ♂ quarto breviore. An specimina nostra speciem a *Chr. remota* Mocs. 1889, Buys. 1896, e Persia occidentali Transcaucasiāque descriptā, mihi in naturā ignotā, distinctam, a cl. Mocsáry a. 1909 l. c. cum illa confusam repreäsentant?

Species staturā valde variabili.

Long. ♂♀ 5,4—10,5 mm.

*Turkestan*: Bajgakum prope Dzhulek ad Syr-darj'ja fl. (D. Glazunov! 12. VI. 1907; S. Malyshev! 26. V—26. VI. 1908; B. Kozhantshikov! 13. VI—10. VIII. 1911); Perovsk (S. Malyshev!

shev, 29. V. 1908, teste Mocsáry); *deserta Kirgizorum orientalia*: distr. Zajsan: ad fl. Kara-Irtysh prope illapsum rivuli Kaldzhir (A. Jacobson! 6. VII. 1910); prov. *Transcaspica*: Bajram-ali pr. Merv (C. Demokidov! 9. IX. 1906). — Specimina originalia proveniunt e monte Demavend Persiae nec non e Transcaucasia orientali (teste Radoszkowski l. c.).

Examinavi 198 specimina turkestanica (189 ♂, 9 ♀), 1 specimen (♀) zajsanense, 1 specimen (♀, colore paulo aberrans) *transcaspicum* (coll. Semenov-Tian-Shanskii).

### ***Chrysis nigricincta* (Bischoff 1910).**

*Tetrachrysis nigricincta* Bischoff, Die Chrysididen d. Kgl. Zool. Mus. zu Berlin (Mitteil. aus d. Zool. Mus. Berl., IV, 3), 1910, p. 475.

Haec species eadem esse videtur ac ***Chrysis shalfeevi*** Sem. 1892 [Bull. Acad. Imp. Sc. St-Pétersb., N.S., III (XXXV), p. 80; =Mél. biol., XIII, 2, p. 250], ex eodem Turkestaniae sinensis loco descripta.

### ***Chrysis fax* Sem. 1903.**

! *Chrysis fax* A. Semenov: Rev. Russe d'Ent., III, 1903, p. 399 (♀).

*Tetrachrysis* (sensu Mocsáry 1889). Addenda descriptioni hujus manifestissimae speciei:

♂. Antennarum articulo 3-o breviore, longitudinem duorum sequentium unitorum haud attingente; tergito abdominali 3-o breviore lateribus magis rotundato paulo magis retuso, margine apicali dentibusque paulo brevioribus, serie antea apicali minus impressâ; ceterum feminae similis.

Mandibulae gracillimae, elongatae, non dentatae. Systema colorationis constantissimum esse videtur.

Variat (raro) partibus auratis capitis, pronoti, scutello, postscutello in viridi-aureum vergentibus, etiam abdominis dorso toto plus minusve viridi-lavato (aberr. α).

Long. ♂ ♀ 6—9,2 mm.

Habitat, quantum hucusque constat, solam provinciam *Heptapotamicam* (Semiretshj'e) Rossiae: fauces Kyzyl-su in jugo Alexandri prope Tokmak (B. Rovnagin! 10—13. VI. 1903; 23—24. V, 3—4. VII. 1904: copiose); opp. Przhevalsk ad lac. Issyk-kul (J. Korolkov! 5. VII. 1907); ad fl. Barskaun, qui in lacum Issyk-kul influit (exped. prof. B. Sapozhnikovi! 6. VI. 1902). — Examinavi 29 specimina (7 ♂, 22 ♀) (coll. Semenov-Tian-Shanskii; Mus. Nat. Hungar.).

### ***Chrysis mane*, sp. n.**

♂ ♀. Constanter discrepat a *Chr. ignita* L., cui proxime affinis, capite, pronoto, pedibus (tarsis tantum exceptis) abdomini concoloribus;

i. e. splendide subigneo-auratis vel laete viridi-auratis subigneolavatis, facie plerumque viridi-auratâ; sternitis abdominalibus purpurascenti- vel viridi-aureis aut his coloribus variegatis, 3-o solum ad latera et ad apicem nigro, medio autem semper metallico, 2-o maculis duabus nigris elongatis angustisque, ejus basin tangentibus, dimidium paulo superantibus argute decorato; pro- et mesonoto minus confertim punctatis; tergiti abdominalis 3-ii margine apicali magis elongato, dentibus adeo acutioribus, serie anteapicali minus impressâ; alis minus sordidis, magis hyalinis, venis plerumque pallidioribus; antennarum articulo 3-o quarto in ♀ subsesqui, in ♂ vix longiore. Ceteris vero signis gravissimis, velut structurâ capitis, angulorum postico-lateralium metathoracis (paulo tantum magis acuminatorum), cet. cum *Chr. ignita* L. consentanea; fortasse ejus subspecies tantum.

Long. ♂ ♀ 5—9 mm.

Hab. in *Mongolia australi* atque in parte adjacente *provinciae Chinensis Gan-su* dictae: prope opp. Sinin (Sining-fu) (1—6. IX. 1908), Nin-sja-fu (1—4. VI. 1908); *montes Alashanicae*: Tszo-sto (20—26. V. 1908); *Alashanj*: Dyn-juanin (3. V—18. VI. 1908, 21—26. IV. 1909) (exped. P. Kozlovi leg.).—54 specimina (35 ♂, 19 ♀) (coll. Semenov-Tian-Shanskij).

### *Chrysis inaequalis* Dahlb. 1845.

*Chrysis inaequalis* et *placida* Dalla Torre, Catal. Hymen., VI, 1892, pp. 71, 85.

*Chrysis inaequalis* et *placida* Buysson in Edm. André, Spec. Hymén. d'Eur. etc., VI, 1896, pp. 570, 503.

*Chrysis placida* Mocs. 1879 est sine ullo dubio tantummodo morpha<sup>13)</sup> *Chrysidis inaequalis* Dahlb., quae unicum hujus formâ typicâ passim occurrit; signis enim specificis omnibus, praeter colorationem, *Chr. placida* cum *Chr. inaequali* prorsus quadrat; praeterea ante oculos habeo individua, ubi transitus colorationis a *Chr. placida* ad *inaequalis* manifeste indicatus est.

Moipham *placidam* (Mocs.) *Chrysidis inaequalis* Dahlb. e locis sequentibus habeo: prov. Syr-dariensis Turkestaniae ross.: Bajgakum pr. Dzhulek (B. Kozhantshikov! 19. VII—4. VIII. 1911); prov. Turgaica: arena Barsuki Minores ad lac. Aral (N. Androssov! 2. VII. 1909), arena Barsuki Majores pr. lac. Tshelkar (i.d.! 16. V. 1909, unicum forma typica!); prov. Saratovensis: Sarepta (L. Wohlmann! 5. VIII. 1906, specim. transitorium unicum forma typica!); Ciscaucasia orient.: Petrovsk (J. Baekmann! 25. V. 1901, specim.

<sup>13)</sup> Cf. A. Semenov-Tian-Shanskij, Die taxonom. Grenzen der Art etc., Berlin 1910; A. Семеновъ-Тянъ-Шанскій, Таксономич. граници вида и его подраздѣлений и пр. (l. c.), 1910.

transit.); Transcaucasia or.: Lagodechi (L. Młokosiewicz! specim. transit.).

Aberrationem  $\alpha$  (= *caucasica* Mocs. 1889) ante oculos habeo e Bicharia orientali: Jol (N. Zarudnyj! 4. VII. 1910: 1 ♂).

Var. (morpha?) **sapphirina** n.: differt a forma typica abdomine toto saturate viridi-cyaneo.—Solum specimen (1 ♂) e parte septentrionali-orientali provinciae Heptapotamicae (Semiretshj'e): int. Urt-kul et Ak-itshke (N. Shnitnikov! 23—24. V. 1910; coll. Semenov-Tian-Shanskii).

Species orientem versus non solum usque ad lac. Zajsan [riv. Dzhemeni (A. Jacobson! 30. V. 1910)], sed etiam usque ad Mongolię australē [Alashanj (exped. P. Kozlovi! 6. VI. 1908)] propagata (specim. typica!).

***Chrysis rutilans mesasiatica*, nom. n.**

*Chrysis rutilans* OI. var. *Asiatica* Mocsáry, Monogr. Chrysidid., 1889, p. 448 (♀).

*Chrysis splendidula* Dahlb. var. *Asiatica* Buysson in Edm. André, Spec. Hymén. d'Eur. etc., VI, 1896, p. 536.

Nomine „*asiatica*“ in genere *Chrysis* (L.) sensu nostro praeoccupato (Radoszkowski 1889), hanc meram subspeciem transnomi-  
nandam esse censeo.

Dum *Chrysidis rutilantis* OI. forma genuina habitat Rossiam europaeam meridionalem et partim medium, Caucasum, Transcaucasię, Sibiriae occidentalis otam meridionalem, ejus subspecies *mesasiatica*, thorace et imprimis tergitis abdominalibus parcus et fortius punctatis facile distinguenda, totā provinciā Transcaspicā atque in Turkestania rossica, ut videtur, ubique formae genuinae vicaria est.

*Chrysidem rutilantem* OI. typicam habeo e prov. Jaroslavensi [Berditzino (A. Jakovlev! 11. VI. 1899)], Saratovensi [Sarepta (L. Wollmann! 17. VI. 1906, M. Koch! 18—23. VI. 1909)], Bessarabia [Kishinev (N. Zubovskij! 27. V. 1901)], Tauria [Eupatoria (B. E. Jakovlev! 1900)], prov. Uralensi [Uralsk (S. Zhuravlev! 24. V. 1909)], Transcaucasia [Tiflis (C. Satunin! 22. VII. 1901), Elisavetpol (J. Babadzhaniadi! 14—31. V. 1909)], e Sibiria occid. [prov. Tomskenis: Ongudaj in mont. Altaicis (A. Jacobson! 17. VII. 1908)].

*Chrysidem rutilantem mesasiaticam* m. habeo e prov. Trans-  
caspica [Kaachka (D. Glazunov! 11. VII. 1903), Bajram-ali (C. Demokidov! 15—30. VII. 1907), Serachs (D. Glazunov! 25. IV. 1903)], atque e Turkestania septentr. [prov. Syrdarjensis: Bajgakum (B. Ko-  
zhantshikov! 5. VIII. 1911), ad lac. Zak-kul (N. Zarudnyj! 4—5.  
VII. 1911)].

In Persia subsp. *mesasiatica* nondum observata est: nam specimen, a Mocsáry l. c. commemoratum, provenit e circuitu oppidi

Aschabad, quod est, ut inter omnes constat, caput provinciae Transcaspiae Rossicae.

**Chrysis struchi** Sem. 1892.

? *Chrysis (Tetrachrysis) Strauchi* A. Semenov: Bull. Acad. Imp. Sc. St-Pétersb., N. S., III (XXXV), 1892, p. 85; = Mél. biol., XIII, 2, 1892, p. 255.

*Chrysis (Tetrachrysis) stranchi* (sic!) Bischoff: Mitteil. Zool. Mus. Berlin, IV, 3, 1910, p. 483.

*Tetrachrysis* (sensu Mocsáry). Addendum descriptioni hujus magnifica speciei: mandibulae ante apicem fortiter unidentatae; tempora postice contra maximalem transversum oculi diametrum manifeste dentata.

Hab. *inde a Mongolia austro-occidentali ad Persiam austro-orientalem usque*: Bugas prope Chami (exped. V. Roborovskii & P. Kozlovi! 21—25. VIII. 1895); Turkestan chinens.: oas. Sandzhu, alt. 1.800 m. s. m. (exped. B. Grombczewskii! 2. VII. 1890), „Pjalma Chotan“ teste Bischoff, l. c. (= eadem exped.); Gurmuk ad limitem Persiae, Afganistani et Belutshistani (N. Zarudnyj! 16. VI. 1898). Ergo verisimiliter etiam faunae Industani, saltem septentrionalis, socia.

Examinavi tria specimina (3 ♀; Mus. Zool. Acad. Caes. Scient. Petrop.), quorum specimen occidentale (persicum) nonnihil aliter coloratum est: viridi-auratum, tergitis abdominalibus plus minusve cupreovel subigneo-auratis (imprimis 2-o ad latera), truncaturā anticā pronoti, mesonoti lobo mediano exceptā areolā centrali, ejusdem lobis lateribus ad marginem externum plus minusve, tergiti abdominalis 1-i declivitate basali, 2-i fasciā latā basali in dorso tergiti plus quam trien-tem ejus occupante, medio sinuatā utrinque extrorsum valde angustatā et marginem vix nisi attingente, tergiti 3-ii fasciā latā quoque basali utrinque ante marginem lateralem abrupte abbreviatā, eum non tangente, toto denique margine apicali saturate violaceo-cyaneis, ventre cyaneo-viridi, sternito 2-o duas maculas subbasales nigras elongatas  $\frac{2}{3}$  ejus longitudinis occupantes continente, sternito 3-o basi et apice violaceo-bisignato.— Quod specimen dispositione colorum atque omnibus notis specificis omnino cum speciminibus orientalibus quadrat et fortasse solum aberrationem individualem repreäsentat.

**Chrysis zetterstedti** Dahlb. 1845.

*Chrysis Zetterstedti* Dahlbom, Dispos. method. Hymen., II, 1845, p. 11, n. 16 (♂♀).

*Chrysis Zetterstedti* Dahlbom, Hymen. Eur., II, 1854, p. 305; tab. XI, fig. 111 (= ♂).

*Chrysis equestris* Dahlbom, ibid., p. 307 (= ♀).

*Chrysis Zetterstedti* Eversmann: Bull. Soc. Nat. Mosc., 1857, II, p. 563.  
*Chrysis Zetterstedti* Radoszkowski: Horae Soc. Ent. Ross., III, 1866,  
p. 308; tab. VI, fig. 34.

*Chrysis Zetterstedti* C. G. Thomson, Opusc. entom., II, 1870, p. 107.

*Chrysis (Hexachrysis) Zetterstedti* Lichtenstein: Pet. nouv. entom., II,  
1876, p. 27.

*Chrysis (Hexachrysis) equestris* Lichtenstein, ibid., p. 27.

*Chrysis Zetterstedti* Radoszkowski: Horae Soc. Ent. Ross., XXIII, 1889,  
p. 32; tab. V, fig. 64 (♂).

*Chrysis Zetterstedti* Mocsáry, Monogr. Chrysidiid., 1889, p. 541; tab. II,  
fig. 50 (= ♂).

*Chrysis equestris* Mocsáry, ibid., p. 542 (= ♀).

*Chrysis Zetterstedti* (= ♂) et *equestris* (= ♀) Mocsáry: Termész. Füzet.  
XII, 1889, p. 70.

*Chrysis equestris* Dalla Torre, Catal. Hymen., VI, 1892, p. 59.

*Chrysis Zetterstedti* Dalla Torre, ibid., p. 109.

*Chrysis equestris* R. du Buysson in Edm. André, Spec. Hymén. Eur.  
etc., VI, 1896, p. 660 (♀).

*Hexachrysis* (sensu Mocsáry 1889). Postquam mihi uterque  
hujus manifestae speciei sexus innotuit, non dubito, quin *Chrysis*  
*equestris* Dahlb., Mocs., Buys. sit ♀ *Chrysidis zetterstedti*  
Dahlb., primum (a. 1845) ab ejus auctore recte conceptae.

Species rara, vaste per zonam borealiorem Eurasiae propagata:  
Suecia et Norvegia (teste Dahlbom 1854); Hungaria meridionalis  
(teste Mocsáry 1889); Rossia europaea, praesertim orientalis, pas-  
sim: prov. Minskensis (teste Radoszkowski 1889), prov. Ekater-  
inoslavensis (teste Mocsáry 1889), prov. Tauricae pars septentr.:  
prope Melitopol (J. Shevyrev! VII. 1 ♂, 1 ♀), prov. Kazaniensis  
(testibus Radoszkowski 1866, Buysson 1896), prov. Sarato-  
vensis (teste Eversmann 1857): Sarepta (teste Radoszkowski  
1866, A. Becker! 1 ♀), prov. Orenburgensis (testibus Eversmann  
1857, Radoszkowski 1866), prov. Uralensis: Uralsk (S. Zhuravlev!  
19. VIII. 1908: 1 ♀); *Sibiria*<sup>14)</sup> occidentalis: Altaj occid.:  
Ulbinskoe (A. Jacobson! 30. V. 1906: 2 ♂), *Sibiria* orientalis:  
prov. Irkutensis: Irkutsk (B. E. Jakovlev! 2 ♂), Markovo prope  
Irkutsk (B. E. Jakovlev! 1 ♂), Padun ad fl. Angara (A. Czekanow-  
ski! 1867, 1 ♂), prov. Littoralis: Vladivostok (teste Radosz-  
kowski 1889).

Examinavi 10 specimina (5 ♂, 5 ♀) (coll. Semenov-Tian-  
Shanskij; Mus. Zool. Acad. Caes. Scient. Petrop.).

### *Chrysis valerii* Sem. 1910.

! *Chrysis valerii* A. Semenov-Tian-Shanskij: Rev. Russe d'Entom.,  
IX, 3, 1910, p. 223 (♂).

<sup>14)</sup> Ubi saepius occurere videtur.

♀. Differt a mare staturā plerumque majore, imprimis autem tergito abdominali 3-o angustiore et multo magis elongato, margine apicali angustiore et minus brevi, dentibus omnibus, praesertim 4 internis, magis elongatis et acuminatis, duobus mediis magis quam ceteri inter se approximatis; antennarum articulo 3-o magis elongato, longitudinem insequentis plus sesqui superante.

Long. ♀ 8—10 mm.

Species firma, utroque in sexu constanter a *Chrysidibus: fasciata* Oliv. et *zetterstedti* Dahlb. signis in diagnosi mea originali jam indicatis, imprimis sculpturā et armaturā 3-ii tergiti abdominalis, discrepans.

Omnia, quae inspexi, specimina (36 ♂, 42 ♀ in coll. Semenovi-Tian-Shanskii) proveniunt e *provincia Syr-dariensi* Turkestaniae: Rajgakum ad fl. Syr-darj'ja haud procul a Dzhulek, ubi species hanc rara videtur (J. Baekmann! 22. V. 1905; B. Kozhantshikov! 1909, 13. VI — 5. VIII. 1911), Novo-Archangelsk (N. Zarudnyj! 6—8. VII. 1911).

### ***Chrysis mocsariana*, nom. n.**

*Chrysis (Hexachrysis) Semenovi* Mocsáry: Archiv. Zool., I, 1, 1909, p. 7 (♂).

♀. Differt a ♀ *Chr. 6-dentatae* Christ. (*micantis* Rossi), cui species nostra proxima est, praeter colorem praesertim corpore toto multo remotius punctato, quam ob rem magis splendido, capite in genis, temporibus verticeque parcus et brevius cano-piloso, fronte angustiore, tergito abdominali 1-o sparsim crasse scrobiculato-punctato, qua inter puncta vix nisi punctulato, medio utrinque areolâ transversali impunctatâ, 2-o subtilius quam 1-um remote punctato, ecarinato, 3-o adhuc minutius et copiosius, non tamen dense punctato, margine apicali similiiter atque in *Chr. 6-dentata* configurato, sed dentibus fortioribus et paulo longioribus armato, quorum centralibus inter se magis approximatis.

Specimen nostrum unicum (♀) colore a descriptione originali speciminis ♂ valde discedit, nam laete viridi-aeneum, subauratum est nitore in mesonoto scutelloque manifeste rosaceo, tergitis abdominalibus omnibus praeter eorum margines posticos plus minusve auroreo-auratis margine externo saturatius purpureo, 2-o et 3-o imâ basi nigrâ; sternitis abdominalibus aenescenti-nigris, 2-o in triente postico, 3-o majore ex parte purpurascenti-aeneis viridi-aeneo variegatis.

Long. ♀ 9,5 mm.

Habitat, quantum constat, in prov. *Syr-dariensi* Turkestaniae ross. montes Kara-tau prope Dzhulek (L. Wollmann 19. V. 1908, teste Mocsáry l. c.); Rajgakum (B. Kozhantshikov! 15. VI. 1911). — Examinavi solum specimen (1 ♀; coll. Semenov-Tian-Shanskii).

Quam manifestam speciem in honorem meritissimi ejus auctoris transnominare propono, nam nomen „semenovi“ in gen. *Chrysis* (L.) sensu nostro, tametsi in synonymis, praecoccupatum est: *Chrysis semenovi* Rad. 1891 = *exigua* Mocs. 1889 = *Chr. thalhammeri* Mocs. 1889 = *Chr. distincta* Mocs. 1887.

Subgen. **Teratochrysis** nov.

Subgen. *Pentachrysis* Licht. sensu Mocsáry (1889) grex specierum satis contortus est, ubi species sine ullâ naturali inter se affinitate agglomerantur.

E subgenere *Pentachrysis* excludendae sunt imprimis *Chrysides*: *seminigra* Walk. (= *goliath* Ab. = *arrogans* Mocs.), *amoena* Eversm. et *zhar-ptitza*, sp. n., quae *Chryside polytima* Buys. additâ subgenus novum, *Teratochrysis* nominandum, efficere mihi videntur, nam valde discrepant a reliquis *Pentachrysidibus* (aeque atque a *Tetrachrysidibus*) imprimis corporis formâ latâ et validâ, staturâ majore, mesopleuris apice fortiter bidentatis, tergiti abdominalis 3-ii margine apicali etsi 5-dentato, tamen dente intermedio minus quam dentes 4 reliqui evoluto, ergo quasi accessorio, capite genis longis subparallelis vel etiam aspectu a fronte deorsum divergentibus, facie et imprimis epistomate latis, antennis tenuibus.

Fortasse etiam aliquot aliae, mihi ignotae species (ut e. gr. *Chr. crassiscuta* Mocs.) in subgenus *Teratochrysis* aggregantur.

***Chrysis zhar-ptitza*<sup>15)</sup>, sp. n.**

*Chrysis amoena* (non Eversm.) Mocsáry, Monogr. Chrysidiid. orb. terr. univers., 1889, p. 540 (♂ ♀).

*Teratochrysis* (sensu nostro). Differt a *Chr. amoena* Eversm. Radoszk. (sec. exactam ejus descriptionem a cl. Buysson in Edm. André, Spec. Hymén. d'Eur. & d'Algér., VI, 1894, pp. 637—639 conscriptam) praesertim genis longitudinem articuli 3-ii antennarum manifeste superantibus, aspectu a fronte deorsum manifestissime divergentibus, carinulâ frontali fortiter flexuoso-biangulatâ, ramulos stemma anticum fere amplectentes emitte, temporibus infra longe barbiformiter pilosis, antennis longis et tenuibus articulo 3-o longissimo parum breviore quam scapus, sequentibus duobus unitis longiore; pronoto convexo medio tantum longitudinaliter in  $\frac{2}{3}$  anticis profunde impresso, regulariter grosse et confertim reticulato-punctato, intervallis punctulatis nullis, mesonoto eodem fere modo punctato, scutello percrasse, postscutello modice grosse magisque confertim reticulato-punctato, hoc nullo modo rugoso; abdomine minus lato tergitis omnibus confer-

<sup>15)</sup> Nomen mythologicum rossicum, avem quandam splendidam fabulosam significans.

tim regulariter profunde punctatis, nullo modo rugoso nec reticulato, tergito 3-o medio non subtilius neque magis remote quam ad latera punctato, punctis seriei longae anteapicalis numero utrinque 7, 10 rotundis (non quadratis), inter se hic-illic confluentibus, dentibus marginis apicalis spiniformibus tribus (quorum intermedio minore) inter se multo minus quam ab externis distantibus, margine inter dentes exteiiores et basin tergiti longo, non sinuato; thorace solum truncaturâ antieâ medio medianoque lobo mesonoti saturate nigro-violaceis nec non postscutello partim cyaneo exceptis viridi-aurato, abdomen dorso concinne eoccineo-aurato, tergitorum omni basi nigro-violaceâ, 1-i et 2-i carinâ dorsali ejusdem coloris vittam angustam utrinque viridi aureoque limbata formante, quâ vittâ in tergito 3-o valde dilatatâ cum postico hujus tergiti margine plus minusve cyaneo confluente, femoribus tibiisque viridi-aeneis leniter tantum cyanescensibus. Ceteris vero notis cum *Chr. amoena* Eversm., mihi in naturâ ignotâ specie<sup>16)</sup>, congruere videtur.

♂ mihi ignotus (cf. ejus diagnosin ap. Mocsáry l. c.).

Long. ♂♀ 11—13 mm. (teste Mocsáry).

Specimina, quae ante oculos habeo, proveniunt e Krasnovodsk prov. Transcaspiae (C. Ahnger! 4. VII; Th. Pleske! 29. V. 1901). Occurrit praeterea, teste Mocsáry, prope Shahrud Persiae septentrionalis. *Chrysis* autem *amoena* Eversm. solum tesquis Sibiriae austro-occidentalis propria esse videtur.—Examinavi *Chrysidis zhar-ptitzae* duo specimina (2 ♀) in Mus. Zool. Acad. Caes. Scient. Petrop., quorum alterum nunc in coll. Semenov-Tian-Shanskii.

### *Chrysis herzensteini* Sem. 1892.

! *Chrysis Herzensteini* A. Semenov: Bull. Acad. Imp. Sc. St-Pétersb., N. S., III (XXXV) 1892, p. 94; = Mél. biol., XIII, 2, p. 264 (♀).

*Chrysis Herzensteini* Bulyssson in Edm. André, Spec. Hymén. d'Eur. & d'Algér., VI, 1894, p. 670.

*Gonochrysis* (sensu nostro). Discriptioni addendum: \**Chrysidis rufitarsi* Brullé (*angulatae* Dahlb.) proxime affinis, a qua differt solummodo mandibulis validius ante apicem dentatis, cavitate faciali pilis longioribus albo-sericeis densius indutâ, fronte et vertice multo longius pilosis, angulis postico-lateralibus metathoracis extrorsum spiniformiter magis productis, tergito abdominali 3-o serie anteapicali minus impressâ sed e foveolis numero circ. 7 + 7 etsi minusculis, tamen omnino determinatis et profundis compositâ, margine apicali multo breviore sed inter dentes lateral-apicales latiore, medio lobum plus minusve prominulum formante, dentibus lateral-apicalibus minus acutis minusque prominulis, nullo modo spiniformibus, emarginaturâ inter hos et

<sup>16)</sup> Cujus rossicae speciei omnia, quae innotuere, specimina ultra terminos patriae nostrae mirum in modum inveniuntur.

dentes obtusos laterales magis profundâ et aequabilius arcuatâ, vertice, pro- et mesonoto nec non scutello minus rosaceis, tarsis pallidioribus.

*Persia occidentalis*: praeter specimen originale in Mus. Zool. Acad. Caes. Scient. Petrop. conservatum examinavi alterum specimen (♀), cum illo prorsus consentaneum, e Persia quoque occidentali reportatum: Kashân: Nasrabad (exped. N. Zarudnyi! 29. V. 1904; coll. Semenov-Tiân-Shanskii).

**Nota.** *Chrysis herzensteini* Sem. unacum *Chrysidibus rufitarsi* Brullé (angulata Dahlb.), *pulchella* Spin. et probabiliter *plusia* Mocs. in subgenus *Gonochrysis* (Licht., Mocs.), ubi gregem naturalem efficiunt, transferendae mihi videntur.

***Chrysis pulchella adolescentula*, subsp. n.**

A forma genuina constanter discrepat capite viridi-aurato, fronte saltem in medio (ante ocellum anticum), nonnunquam etiam cavitate faciali rosaceo-auratis, pro- et mesonoto suturate concinne rosaceo-auratis solummodo ad margines et in suturis viridi-lavatis, mesopleuris, scutello, postscutello et toto metathorace e rosaceo magis in viridi-aureum vergentibus, abdominis dorso delicate subdilute purpureo, tergitis 2-o et 3-o imâ basi nigrâ, pedibus splendide viridi-aureis, tarsis testaceis; cavitate faciali pilis argenteo-sericeis multo magis dense vestitâ, oculis oviformibus apice inferiore magis acuminato, orbitis internis sursum et deorsum inter se magis divergentibus, vertice et imprimis thorace longius erecte pilosis; thorace toto, imprimis pro-, mesonoto et scutello magis remote punctatis, prothorace medio ad marginem anticum multo minus profunde nec sulciformiter impresso, scutello magis convexo; abdomine paulo minus convexo, magis lucido, paulo subtilius et minus crebre, praesertim in tergito 1-o, punctato, tergito 3-o margine apicali dentibus 2 lateralibus inter se paulo magis approximatis, exteriore magis expresso ab altero emarginaturâ magis profundâ separato; alis fere pure hyalinis, venis pallidioribus, imprimis transverso-mediali, cellulâ radiali fere occlusâ, nervo radiali medio paulo magis geniculatim curvato; ceterum cum *Chr. pulchella* Spin. typica congrua. Fortasse species autonoma.

Long. 6,5—7,3 mm.

*Prov. Transcasica*: viae ferreae Transcasicae stat. Pereval (C. Ahngær 17. IV. 1905 in floribus *Umbellaratum* leg.).—5 specimina inter se omnino consentanea (3 ♂, 2 ♀), quae amicitiae beati A. I. Jakovlevi debeo (coll. Semenov-Tiân-Shanskii).

Variat pro- et mesonoto saturate purpureis, abdominis dorso toto saturatiis purpureo chalybaeo manifeste relucente (imprimis in medio<sup>17)</sup> (aberr. ♂).

<sup>17)</sup> Solum specimen (♂) unacum reliquis captum.

Subgen. **Cephalochrysis** Sem. 1910.

*Platycoelia*<sup>18)</sup> Dahlbom, Dispos. method. spec. Hymenopt., II: *Chrysis* in sensu Linnaeano, 1845, tab. ad pag. 1 et p. 8 (genus).

*Cephalochrysis* A. Semenov-Tian-Shanskij: Rev. Russe d'Ent., IX, 3, 1910, p. 224 (subgenus).

Quod in subgenus, omni jure accipiendum, referenda est praeter tres a me l. c. pp. 225—226 recensitas species (*Chrysis sabulosa* Rad. 1877; *Chr. ellampoides* Sem. 1909; *Chr. idolon* Sem. 1909) etiam *Chrysis megacephala* Dahlb. 1854 aegyptiaca et *Chr. ehrenbergi* Dahlb. 1845 (=typus generis *Platycoelia* Dahlb. 1845), Aegypti Algeriaeque incola. Non dubito, quin species sub nomine *Chr. ehrenbergi* a Radoszkowski e fauna Turkestaniae citata<sup>19)</sup>, referenda sit ad aliam, nescio quam, speciem.

*Chrysis ehrenbergi* Dahlb., cuius specimen aegyptiacum benevolentiae Rev. F. D. Moricei debo, a tribus ejusdem subgeneris speciebus turanicis argute differt.

Itaque area geographica specierum subgeneris *Cephalochrysis* extenditur per zonam desertorum inde ab Algeria (Biskra testibus du Buysson, Mocsáry) saltem ad Dzhungariam rossicam (lac. Balkhash) usque.

<sup>18)</sup> Nomen praeoccupatum: (Dejean 1833) Burmeiste 1844 in *Coleopteris*.

<sup>19)</sup> Radoszkowski in Fedtshenko, Путеш. въ Туркест., II, 5, 1877, pp. 10, 16, tab. I, fig. 10 (mala).